

circumspectis omnibus allegare. Rex avaritię^{a)} laborare vitio videbatur, avidus laudis. Sic igitur intencionem sua fundavit oratio, ut ille de petitione proposita plus cerneret timendum sibi quam petitionibus derogandum, quia valde crudelis animi et perturbati consilii notaretur, si^{b)} id vivendi genus et spatium non indulgeret, quod non nisi frustra posset feris agrestibus invidere. Simul etiam circumspexit Josef noster Faraonis consiliarios, nomen et opus omnium monachorum genere detestantes, vel quia offendunt in rectitudinem vel quia consequente labores et studium libertate tabescunt^{c)}. Unde non ab re sibi suisque gelida saltus, aspera montium, remotam a civitatum deliciis regionem^{d)} et quicquid abominatur Egittus elegit, respondens ei, qui Matinam nigri tum ordinis³⁵⁾ offerebat: „Absit“ inquit „ecce cum Moise ducam pauperculas oves meas ad interiora deserti³⁶⁾, quia non est communitas filiorum lucis³⁷⁾ et seculi, taberne et celle, Sodome in qua Lot paulominus periit, et montane ad quam David fugiens elongavit³⁸⁾, ebrietatis quam delectabilium presentia suscitatur, et sobrietatis quam rusticitas^{e)}, ut est a Deo iuxta ecclesiam creata, conservat. *Videntes*³⁹⁾ *filius Dei filias hominum, quod essent pulcre, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*“. Ut illius etiam elogii recordaremur: et *vidit*⁴⁰⁾, inquit, *mulier*, id est Eva, *quod bonum esset lignum ad vescendum et pulcrum oculis aspectuque delectabile, tulit de fructu illius et comedit deditque viro*; notandum quod ex esu^{f)} secutum est, quod ad percipienda turpitudinis instrumenta protinus eorum *oculi sunt aperti*. Iam qui legit et intelligit. Nos autem ad proposita revertamur. Extendit^{g)} rex <manum> et huiusmodi rescriptum facultate pie petitionis et petitoris autoritate constrictus indulsit, ut in nulla re^{h)} molesti baiuli tribuerent annuatim quinquaginta salmas siliginis fischalium decimarum.

Ea tempestate Neapolim munitissimam Campanię civitatem imperator Henricus primo imperii sui anno ingressus regnum, quod sibi pro uxoris iure debebatur, obsederat; et obnitente dicti arte principis, cum inexpugnata Neapoli sanum sibi non esset ad ulteriora transire, versus

a) havaritię Hs., B. b) sed Hs. c) so Hs., B; nicht bei L. d) regione Hs., B. e) rusticitatis Hs. f) exu Hs.; essu B. g) exstendit Hs.; estendit B. h) rei Hs., B.

³⁵⁾ Über das Benediktinerkloster S. Maria della Mattina s. o. S. 498 mit Anm. 101.

³⁶⁾ Vgl. Exod. 3, 1.

³⁷⁾ Vgl. Ephes. 5, 8; 1. Thess. 5, 5.

³⁸⁾ Vgl. Ps. 54, 8.

³⁹⁾ Vgl. Gen. 6, 2.

⁴⁰⁾ Gen. 3, 6/7.